

cis significatione consulere. Cic. l. i. Tusc. Qu. ait, animam vocari  $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$  nomine novo, quasi quandam continuatam motionem & perennem. At non uno modo ostendi potest Ciceronem min' recte hanc vocem vertisse & sensum Aristotelis minimè assecutum fuisse: Nam secundum Aristotelem s. Metaph. c. 7. ut sciens & videns dicitur bifariam, ita & quiescens. Ubi si  $\epsilon\nu\pi\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$  esset idem, quod continua motio,  $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$  quiescens esset idem, quod continua motione quiescens, quod apertam involvit contradictionem. Huc accedit, quod 3. Phys. text. 6. Aristoteles definiat motum per  $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$ ; si ergo  $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$  nihil aliud est, quam continua motio, sensus erit, quod motus sit motio & ita idem definiretur per idem. Quid? motio est  $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$  secunda, si ergo  $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$  significaret motionem, ut vult Cicero, non posset  $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$  dividi in primam & secundam, quod tamen factum ab Aristotele l. 2. de Anima. t. 2. videsis B. Stahlium, Principem Philosophorum nostri seculi maximum, in discursu ad Tab. Metaph. de Actu. p. 49. Quomodo vero Plutarchus in lib. de placit. Philosoph. & Scalig. exercit. 80. sect. 3. p. 300. latinè reddiderunt, vocem  $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$ , & etiam à vero aberrarunt, vide apud B. Scheibler. in lib. de Anim. disp. 1. p. 1. § 6. & 7. quâ de re fusè agere nostri instituti ratio non concedit. Nos autem cum Monlorio & cum pluribus aliis accipimus  $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$  pro actu; Cùm autem actus sit duplex, vel primus vel secundus. Actus primus nihil aliud est, quam forma vel natura, quæ potest esse principium operationis. Non autem requiritur ad actum primum, ut semper actus sit operationis principium, sed sufficit si possit operari. Actus secundus vero est ipsa operatio naturæ vel formæ alicuius. Jam dicimus animam esse  $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$  πεώτην seu actum primum, quod commune est animæ cum omnibus formis physicis, quibus materiæ informantur. Cùm autem etiam aliquod accidens possit esse actus primus, (sicut scientia respectu contemplationis) ad meliorem intelligentiam ulterius tenendum est, quod anima sit actus primus substantialis, non vero accidentalis,